

Der ganze Convent des Klosters Marienstern verspricht, daß sein in Verfall gerathenes Hospital vor der Stadt Kamenz sammt Zubehör nie zu etwas anderem verwendet werden solle, als zur Erquickung der Armen und Kranken, und bestimmt, daß künftig der Hospitalverwalter mit Zustimmung der 5 Bürgerschaft von Kamenz gewählt werden und zweimal jährlich der Stadt und dem Kloster Rechnung ablegen, dafür aber auch die Bürgerschaft das Hospital schützen und schirmen solle.

1348 Mai 31.

Hdschr.: Or. Perg. Stadtarchiv Kamenz No. 158 mit den SS. der Abbatissin und des Convents an Pergamentstr.

In nomine sancte et individue trinitatis. Cum cuncta, que sub sole fiunt, teste
 10 sapiente, vanitati subiaceant, necesse est, ut || actus humani, ne oblivioni succumbant, literarum testimoniis fulciantur. Hinc est, quod nos Adilheydis divina providencia || abbatissa, Amabilia priorissa totusque conventus sanctimonialium in Stella sancte Marie ordinis Cisterciensis universis et || singulis presencia visuris cupimus fore notum, publice protestantes, quod cum hospitale nostrum ante muros oppidi Kamencz situm propter pro-
 15 visionis et tuicionis debite et necessarie carenciam in statum tam despectum et miserabilem devenisset, quod non domus pauperum, sed quasi allodium dilapidatorum res in pios usus erogatas videretur, providi et honesti viri cives seu burgenses dicti oppidi Kamencz super eo nobis condolentes, et ut reformari posset et ad pristinum statum reduci, nobiscum concordaverunt in hunc modum, videlicet quod nos ipsis promisimus et presentibus promitti-
 20 mus, quod dictum hospitale in suo esse perpetuo permanere debet nec ad quidquam aliud per nos nec sequaces nostras deputari, quam quod sit continua pauperum refectio et domus infirmorum, eciam si, quod absit, per quemcumque malum eventum destrueretur, de bonis et rebus ipsius denuo esset et de novo reparandum. Hec autem pertinencia sunt ad prefatum hospitale: molendinum ipsi contiguum, et de alio molendino sito juxta
 25 ripam, que dicitur dy Trenke, sibi una marca census debetur annis singulis, et nemus seu rubetum, quod dicitur der Vorst, cum agris, scilicet duobus mansis et dimidio. Cum hiis omnia et singula ipsi hospitali a quibuscunque data, legata, empta et appropriata in eodem permanere debent in perpetuum, nec ab eo alienari seu in quemcumque usum alium permutari. Et ut eidem hospitali caucius provideatur, volumus, ut procurator seu rector
 30 dicti hospitalis cum consensu, scitu et voluntate dictorum civium eligatur, substituatur et preficiatur, qui bis in anno ipsis et nobis rationem faciat de distributis pariter et perceptis. Super cujus tamen procuratoris prefixione vel substitutione si qua inter nos et dictos cives oriretur dissensio, nostre potius tamquam principaliorum in hac parte standum est ac consensendum voluntati. Hiis igitur condicionibus et punctis a nobis promissis, et cum
 35 nostris sequacibus servare inviolabiliter volentes easdem, supra dicti cives sepe dictum hospitale in sua defensione et tuicione jugiter habere ipsumque consiliis et auxiliis fovere debent, sicut promiserunt, ac in omni jure et emunitate sicut suam civitatem conservare. In quorum omnium testimonium presentibus ambo nostra sigilla, abbatisse scilicet et conventus, sunt appensa. Anno domini m° ccc° XLviii° pridie kalendas junii.